



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,  
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae  
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

**Carleton, Thomas Compton**

**Antverpiæ, M.DC.XCVII.**

Disput. XXIX. De concursu Dei ad actum malum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

Concursus  
Dei genera-  
lis maxi-  
mum natu-  
ra bonum.

hoc generali ex se indifferente abutatur, & ex sua perversitate applicet ad malum, ob quod tamen non est rationi consonum, ut Deus interruptat generalem illam voluntatem, & legem de concurrente cum causis secundis immutet, cum ad maximum naturæ bonum spectet ut rebus omnibus modus operandi ipsarum naturis conformis permittatur. Sicut si quis, cui ex officio incumbit vendere gladios, licet sciat multos iis ad innocentium cædes abuturos, ipse tamen mortis illorum causa dici nequit, nisi ad summum per accidens, quia scilicet alio fine gladios iis vendidit, nempe vel ornatus causa, vel ut se data occasione defenderent.

III. Secunda Conclusio: voluntas hæc generalis quæ Deus omnipotentiam suam offert & applicat creaturis, non est simpliciter efficax, ita nimirum ut absolute velit eas hac sua omnipotentia uti, & actus aliquos eliceret; nec etiam est formaliter conditionata ob inconvenientiam contra hunc respondendi modum posita sec. præcedente n. 4. sed est voluntas quædam inefficax, & virtualiter conditionata, quæ in manu quasi liberi arbitrij ad hos effectus ponit suam omnipotentiam, ut uti eam possit vel non uti: sicque ex una parte nulla voluntati creatæ vis inferitur, ex aliâ verò omnia ad operandum necessaria ei abunde suppeditantur. Hoc modo procedere videtur Suar. d. 22. Met. s. 4. n. 14. & l. 1. de concursu Dei c. 14. n. 5. P. Monæus d. 3. c. 9. & alij.

IV. Objicies primò: hunc modum procedendi parum Majestati Dei & honori consulere, utpote quo indignum videtur omnipotentiam suam in manu voluntatis creatæ ponere, hoc enim objectionem quandam præferre videtur, dignitati divinæ supremæque ejus excellentiæ parum consonam. Resp. nullam hic esse subjectionem, Deus enim quod hac in parte facit, liberè facit, à nullo coactus, nisi à bonitate sua, quæ ita omnipotentiam rebus creatis permittit, & attemperat, ut penes ipsum sit momentis singulis concursus, quem præbet, suspendere. Unde hæc voluntas, Dei bonitatem, liberalitatem, ac munificentiam commendat, nihil officit dignitati.

V. Objicies secundò: actio voluntatis creatæ, & concursus Dei in actu secundo, sunt secundum nos eadem entitas, ergo si actus quo Deus omnipotentiam suam voluntati creatæ applicat, sit conditionatus, nempe *volo concurrere si voluntas creatæ operetur*, perinde est ac si diceret, *volo concurrere, si ponatur meus concursus*, operatio enim creatæ voluntatis, ut dixi, & concursus Dei sunt idem. Resp. convincere evidenter hoc argumentum, voluntatem Dei, quæ suam voluntati creatæ omnipotentiam applicat, non esse formaliter conditionatam, sicque benè impugnat secundam sententiam sec. præcedente relata. Dico ergo hanc Dei voluntatem non esse formaliter, sed tantum virtualiter conditionatam, & melius expli-

Hæc Dei voluntas melius explicatur per particulam Quando, ergo hanc Dei voluntatem non esse formaliter, sed tantum virtualiter conditionatam, & melius expli-

cari per particulam quando, quàm si, ita ut dicat Deus, quando voluntas creatæ operatur, ego simul cum ea concurrām: quo decreto posito, operante voluntate creatâ, unâ operatur Deus, & cum eâ pariter concurrat. Hæc optimè explicantur per concursum habituum naturalium, vel supernaturalium, qui, operante voluntate, simul cum illâ eadem numero actione concurrunt.

VI. Objicies tertio: etiam concurrente Deo operatur voluntas creatæ, cum sit eadem actio, ergo tam dici posset si vel quando Deus concurrat, operabitur voluntas creatæ, ac è contrâ. Resp. realiter loquendo, & quoad rem ipsam ita esse: quoad modum tamen operandi, determinatio merito tribuitur causæ particulari, cum universalis ex se, & modo concurrenti sit indifferens, ut in cælo, & sole constat, quæ ab igne determinantur ad producendum ignem, à leone ad leonem, ab equo ad equum &c. licet eadem cum his omnibus actione concurrant.

VII. Objicies quarto: actus inefficax voluntatis, licet internos aliquos actus excitare possit, nihil tamen operatur ad extra, qui enim inefficacem tantum habet voluntatem ambulandi, aut fumendi medicinam, ad neutrum se unquam efficaciter accinget, ergo applicatio omnipotentia, ut sit efficax, fieri debet non per actum conditionatum & inefficacem, sed per efficacem & absolutum. Resp. si determinatio ad operandum, seu producendum actum liberum fieri deberet à Deo, habere necessariò deberet actum efficacem: at cum determinetur hic & nunc à voluntate creatâ, sufficit voluntas inefficax illius operationis, quæ, operante creaturâ, transit in efficacem & absolutam. Addo, licet hæc Dei voluntas sit inefficax respectu operationum voluntatis creatæ, (utpote quas per hoc decretum non prædefinit, nec eam ad operandum prædeterminat) est tamen efficax respectu exhibitionis omnipotentia, quam verè in potestate liberi arbitrij per hunc actum ponit, ita ut jam uti eâ ad quemcunque voluerit actum, possit, quod tamen, nisi talis in Deo actus præcederet, non posset.

VIII. Quæres, concursus hic Dei respectu concursus voluntatis creatæ, sine antecedens an subsequens? Resp. realiter loquendo esse neutrum, sed esse concomitantem. Unde, Deus & creatura concursu subsistendi multaneo ad operationes omnes creatas influunt. Dicit tamen potest concursus Dei prior subsistendi consequentiâ, cum non valeat consequentiâ ab operatione Dei ad operationem creaturæ, valet tamen ab operatione creaturæ ad operationem Dei, legitima enim est hæc consequentiâ, operatur creatura, ergo operatur, vel cooperatur Deus, non tamen è contrâ, operatur Deus, ergo operatur creatura, cum Deus absque creaturâ producere infinita possit, creatura sine Deo nihil.

VI. Modus concurrenti Dei si dicitur à modo concurrenti creaturæ.

VII. Quomodo actus inefficax ex parte Dei ad hunc effectum sufficit.

Hæc Dei voluntas respectu alius est efficax.

VIII. Concursus Dei est prior subsistendi multaneo consequentiâ creaturæ.

## DISPUTATIO XXIX.

### De concursu Dei ad actum malum.

Argumentum præcipuum Durandi, quod Deus esset causa peccati.

P Ræcipuum argumentum pro sententiâ Durandi negantis Deum immediate cum creaturis ad actus suos concurrere, est quod inde sequi videatur, Deum esse causam peccati: si enim ad omnes creaturarum effectus concurrat, ergo & ad actiones earum peccaminosas: imò actio mala pro-

cederet etiam à Deo, ergo Deus tam esset causa peccati, quàm creatura, seu voluntas creatæ: quod tamè damnatum est in Concilio Triden. sess. 6. can. 6. his verbis: Si quis dixerit mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permisisse solum sed etiam propriè, & per se, &c. anathema sit.

SECTIO PRIMA.

Patris Fratris Ludovici à Dola sententia circa concursum Dei ad actum peccati.

I. **P**ater Frater Ludovicus à Dola quarta parte sui operis de concursu Dei & creatura c. 7. nu. 2. & existimat canone illo Concilij Trid. proxime citato definitum esse, Deum proximè & immediatè ad actum peccati non concurrere, sed mediatè tantum, & remotè, totumque influxum in peccatum adæquatè à libero arbitrio procedere, Deumque non alio modo ad actum pravam concurrere, quam voluntatem creatam, à qua immediatè producit, conservando. Unde per particulas illas *proprie & per se*, ait intelligi concursum physicum & immediatum, quem asserit definire hic Concilium in Deo respectu peccati non reperiri. Quod toto capite 9. ex professo ostendere conatur.

II. **S**ed contrà, quod hoc loco negat Concilium de operibus malis, asserit de bonis, & juxta Concilium, sicut Deus *proprie & per se* non operatur opera mala, ita *proprie & per se* operatur bona. Si ergo per has particulas *proprie & per se* intelligatur concursus physicus & immediatus, & definiat Concilium Deum non concurrere physicè, & immediatè ad actus malos, eadem operà definit concurrere Deum physicè, & immediatè ad actus bonos, ergo hac definitione Concilij pereuntur anathemate opinio Patris Dola, qui, ut vidimus disp. præcedente, negat Deum ad ullos omnino actus voluntatis creatæ, etiam bonos, concurrere physicè & immediatè. Re tamen verà nec unum definitur nec alterum, ut mox offendam.

III. **L**ongè ergo alia est mens Concilij. Pro cuius intelligentia Notandum, exiisse eo tempore nonnullos, qui novarum rerum studiosi, varia spargebant dogmata, Deo injuriosa, ejusque sanctitate, bonitate, & æquitate maximè indigna.

IV. **U**t verò ex multis paucæ excerptam, hæc & similia erant eorum placita, vel potiùs blasphemias. Deus, inquit, non permittit tantum, sed directe vult & devertit peccata omnia, quæ indecisi sunt ab hominibus, & quod plus est, ea ab æterno statuit, ordinavit, prædestinavit: nec hoc tantum, sed modo etiam occultè ut, & suggestionem quadam secretà ipse per se homines ad flagitia movet, incitat, imò & necessitat. Addebant, Deum mandare, urgere, impellere diabolum, ut quotidie maleficia concipiat, & homines quoquo modo ad peccandum inducat. Unde aiebant Deum ab æterno ordinasse, & prædestinasse ut Adamus peccaret, & posteros in eandem secum ruinam pertraheret. Quare, inquebant, simpliciter asserendum est Deum proprie causam, & auctorem esse omnium peccatorum, nupote quo volente, jubente, prædestinante, impellente peccantur. Nec minùs proprium opus esse Dei asseriebant adulterium Davidis, & Judæ proditorem, quam vocationem Pauli, & aliud quodcumque pium opus, in quo misericordia Dei, & bonitas maximè eluceat. Hæc & his similia extant in operibus Lutheri, Zvinglij, Calvini, & aliorum: qui ubi semel ab Ecclesiâ deciverant, in hujusmodi blasphemias præcipientes ruerunt.

V. **C**ontrà hos ergo Canone citato pronuntiat Ecclesiâ, eosque, qui in tam sædis erroribus obstinati persistenter, hoc fulmine ab Ecclesiâ communione refecat, indignos nimirum, qui, cum sanctitatis omnis origini ac fonti, tam sædas maculas aspergant, Ecclesiâ quæ sancta est, & immaculata, membra censeantur. Contra illos verò, qui Deum solo physico, & immediato influxu ad peccatum concurrere affir-

R.P. Th. Compt. ni Philosophia.

mant, nihil vel per umbram definit, quippe qui nihil Deo indignum asserunt, quem sc. iustissimis de causis concursum omnibus, non qui ad malum impellat, sed indifferentem offerre dicunt, ut unusquisque eo ad opera naturæ suæ, & rectæ rationi congrua utatur, si quis autem secus fecerit, Deus dum cum eo ut auctor naturæ, & ut indemnem servet creaturæ rationalis libertatem, concurrat, nihil vel sanctitate, vel æquitate suâ indignum præstat. Ut tamen magis propriè loquar, huic, omnipotentia non tam præbet, quam non denegat concursum.

His etiam consonat communis doctrina Patrum, qui in eos acerrimè invehuntur, non qui in fluxu physico, & indifferente Deum cum creaturâ rationali juxta naturæ leges concurrere, sed qui cum investigatione quadam aut suasu homines ad malum impellere, vel ferreo quodam decreto ad peccandum eos cogere, ac necessitare affirmabant. Sic Eusebius Cæsar. l. 6. de præpar. Evang. c. 5. Impius, inquit, profecto judicabitur, imò verò pessimus omnium, qui a creatore universi, alios ad adulteria, alios ad rapinam, alios ad alia vitia impelli arbitrat, unde sequitur, aut hac peccata non esse, aut peccandi causam in creatorem referri. Idem sapè docet S. Augustinus, & alij Patres, nihilque in eorum scriptis frequentius: ipsi verò, qui Deum influxu solùm generali, & indifferente cum hominibus ad peccatum concurrere asseriebant, nullus sanctorum Patrum id vertit vitio.

Dogma ergo hæreticorum, aut hominum impiorum nunquam existimatum est, quòd Deus, modo jam explicato, ad peccatum concurreret, sed viri maxime pij, & catholici, qui quæ frequentes tunc Concilio interfuerunt, & sententiam istam tuebantur, hunc canonem condiderunt: nec tamen propterea opinionem suam de generali, & immediato Dei concursu ad peccatum postea mutarunt, quod tamen haud dubiò fecissent, si se illo anathemate ferri existimassent. Unde mirum mihi videtur, Patri Dola in mentè venire potuisse ut assereret definitum à Concilio, & fidei articulum esse, Deum physico & immediato influxu ad peccatum non concurrere.

Dicet, definitum hoc canone Concilij Deum non operari opera mala, hoc autem sonat concursum physicum. Contrà, additur Deum non operari opera mala, ut bona, ergo, ut supra dixi num. 2. si desinatur Deum non concurrere physicè, & immediatè ad peccatum, definitur similiter contrà P. Dola concurrere Deum physicè, & immediatè ad actus virtutum. Resp. itaque, ideo dici Deum operari opera bona, & non mala, quòd per inspirationes varias homines ad bonum operandum instiget, & præmijs etiam propositis ad exercendam virtutem invitet, imò & opera multa bona præcipiat, sicque à bonum homines omni ratione mover, urget, & impellit. Mala verò è contrà severissimè, pena etiam interminatione prohibet, ut mortales ab eorum perpetracione deterreat. Unde bona operari propriissimè dici potest, & hæc in eum tanquam in auctorem refundi, secus verò mala. Quo sensu ibidem damnat Concilium eos, qui dixerint: proprium opus Dei non minùs esse proditorem Judæ, quam Pauli vocationem.

Hinc constat, propositionem illam P. Soarj l. 1. de concursu Dei, c. 4. n. 2. ubi dicit omnem actum voluntatis creatæ indigere a Quasi Dei auxilio, seu concursu, quo verè proprièque, ac per se à Deo fiat, non esse contra hunc canonem Concilij, ut prætendit P. Dola p. 4. cap. 8. num. 5. & toto c. 9. loquitur enim P. Suarez eo loco de productione tantum physica cujusque actus, idque per concursum indifferenter: Concilium autem, quando negat Deum proprie & per se operari opera mala, contra illos loquitur de quibus supra num. 4. qui Deum aiebant homines ad

Deus quibusdam non tam præbet, quam non denegat concursum.

VI. His consonat doctrina Patrum.

Eusebius Cæsariensis.

S. Augustinus.

VII. Non est damnatum à Concilio Deum concurrere immediatè ad peccatum.

VIII.

Cum dicatur Deus operari opera bona, & non mala.

VI.

IX.

Propositio quedam P. Soarj non rectè à P. Dola reprehenditur.

mala perpetranda movere, urgere, impellere, imò & necessitare: quorum nihil in illa Suarj propositione reperitur, ut constat.

minis disputatam. Utrum autem Deus, dum immediate ad actum peccati concurrat, dici possit causa illius physica, constabit ex dicendis.

## SECTIO II.

Deus immediate cum creaturâ producit actum peccati.

I.  
Deus physice, & immediate concurrat ad actum peccati.

S. Thomas.

Probatur auctoritate Theologorum.

II.  
Malderi Episcopi Antverpiensis de Durandi opinione iudicium.

III.  
Vnde defendenda sit rei hujus probatio.

Eadem alio aliquando peccatum, aliquando non.

IV.  
Explicatur dicta quadam Patrum circa concursum Dei ad peccatum.

**D**icendum itaque Deum physice, & immediate ad actum peccati simul cum creaturâ voluntate concurrere: ita S. Thomas in 2. d. 37. q. 2. art. 1. cujus verba retuli d. precedente s. i. num. 4. idem habet S. Doctor 1.2. q. 1. art. 79. ar. 2. corp. Suarez locis citatis: Vasq. 1. 2. d. 79. c. 3. nu. 9. dicens ibidem esse eam expressam sententiam D. Anselmi de calu diaboli cap. 20. alibi Tanner. 1. 2. d. 4. q. 9. d. 5. nu. 76. asserens tanquam certissimum esse tenendum Deum, per modum causæ universalis verè, propriè, & immediate efficere actum peccati, una cū causâ secundâ, adeo ut opposita sententia, eiss manifeste non sit hæretica, prorsus tamen sit falsa, & improbabilis. Hæc ille. Idem docet Zumel. 1. 2. q. 79. ar. 2. agens contrariam opinionem ut minimum esse valde periculosam in fide, & forte erroneam. Montesinus 1. 2. disp. 10. quaest. 3. num. 25. asserens esse erroneum, vel errori proximum negare Deum concurrere ad actum peccati.

Omnium verò clarissimè Malderus Episcopus Antverpiensis 1. 2. qu. 79. d. 2. in articulum 1. & 2. S. Thomæ, ubi cum Durandi sententiam retulisset, negantem Deum concurrere per se & immediate ad actiones malas, sic subdit: pro contrariâ sententiâ sit unica assertio: Est fidei, Deum tanquam causam primam concurrere ad omnem operationem creaturæ, adeoq. ad actum materiale cuiusvis peccati per se, & immediate. Ita tenent omnes Theologi, quorum multi aperte dicunt sententiam Durandi esse hæreticam: reliqui omnes hanc nostram, tanquam dogma Catholicum, de quo dubitare non liceat, amplectuntur. Hæc ille, qui tamen diu scripsit post Concilium Tridentinum. Unde P. Hurt. d. 10. Phy. sc. & 2. licet in sententiam negantem Deum concurrere ad actum peccati propendeat, ob auctoritatē tamen Theologorū ei subscribere non audeat. Eandem sententiā tenet P. Arria. d. 10. Ph. s. 1. nu. 34. P. Oviedo, cont. 10. phy. p. 1. & alij.

Probationes hujus conclusionis eadem sunt cum illis, quibus disp. præcedentes s. i. probavi Deum ad omnes omnino effectus physice & immediate concurrere, quod non minus de actu peccaminoso verum est, quam de alio quocunque, cum non minus sit entitas physica, & realis. Imò aliquando eadem actio, saltem externa, quæ modò ob advertentiam ad Deum, præceptum, vel malitiam, est peccatum, si sine hac advertentiâ fuisset facta, non fuisset peccatum, dicere autem in uno casu à Deo physice & immediate produci, in alio solum mediâtè, videtur incredibile.

Quæ verò in contrarium ex S. Augustino, vel alijs Patribus asseruntur, solum probant, vel Deum non velle directè, & absolute peccata: vel non concurrere ad peccata formaliter, seu ita ut ipse, ea producendo peccet: vel tandem (quod peculiariter in S. Augustino non caret fundamento) volebant peccatum, quoad formalem rationem malitiæ, & peccati, consistere in negatione, sicque licet ad totam entitatem physicam peccati immediate, & physice concurrat Deus, non tamen ad peccatum, quæ tale, seu ad rationem formalem, quam dicunt multi non tam esse, quam non esse, nec habere causam efficientem, sed deficientem. Putat autem Arriaga citatus hanc questionem non fuisse unquam à Patribus in ter-

## SECTIO III.

Dicere possit Deus causa Physica actus pravi.

**P**hysica, inquam, nam Deum non esse causam moralem actus pravi certum est; causa quippe moralis est quæ suadet, consulit, præcipit, & alio hujusmodi influxu morali ad rem aliquam concurrat, quod tantum abest ut Deus præstet respectu peccati, ut etiam ab eo homines omni modo avocet, imò, ut supra dixi s. i. severè illud prohibeat, & penis propositis ab eo deterreat: Sic Plal. 50. v. 5. dicitur, quoniam non Deus volens iniquitatem tu es: & Ecclesiastici 15. v. 21. nemini mandavi impiè agere, & nemini dedi spatium peccandi, seu, ut peccaret. Unde tandem Iac. 1. v. 13. sic habetur, nemini cum tentatur dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum est: ipse autem neminem tentat.

Hinc refutata manent blasphemix hæreticorum nostri temporis, quas supra retuli s. i. n. 4. qui sequuti Simonem Magum, Marcionem, & alios antiquos hæreticos, Deum ad peccata & flagitia movere, urgere, & impellere homines dicebant. Hujus tamen dogmatis eos postea puduit, unde Philippus Melancthon, Crudeles, inquit, opinio est, quæ facit Deum auctorem peccati, à quâ auribus & animis abhorreere debemus. & alibi, Summa consumelia Dei est, inquit, iribere ei quod velit peccatum, & impellat homines ad turpitudinem. Quam etiam blasphemiam Lutherani moderni detestantur, licet, ut varia semper est hæresis, in eam multi ex ijs relabantur. Sed hæc Theologis relinquamus.

Difficultas itaque præsens est, utrum, posito quod Deus physice concurrat ad actum peccati (ut docet communis Theologorum sententia contra Durandum) dicendus sit causa saltem physica universalis peccati, seu illius entitatis physice & materialiter sumptæ, sicut est causa aliarum rerum. Quæ in re prima sententia est negativa, quæ tamen non eodem modo à suis auctoribus defenditur.

Primò itaque dicunt aliqui Deum ideo non esse causam physicam peccati, quod nulli subiciatur, sicque concurrendo ad peccatum, nullam violat legem: ita Becanus Opusc. 1. c. 3. Secundò, Hurtado d. 10. Phy. nu. 42. ideo Deum negat esse causam physicam peccati, quod non causet illud modo peccaminoso, sicut nec vitaliter. Tertio Scotus, Salas, Vasquez 1. 2. d. 129. c. 7. quod sola voluntas creata sit causa libera esse causam peccati. Sed contra hos omnes modus est, solum physicam enim probant Deum non peccare concurrendo ad actum peccati, non tamen non esse causam illius physicam, cum habitus sit causa physica actus peccaminosi, qui tamen nec libere concurrat, nec subditur legi, cum non sit rationalis. Deinde, Deus concurrat libere aliquo modo ad peccatum. Præerea sequeretur Deum non esse causam actuum liberorum, qui non sunt peccata, cum sola voluntas sit principium eorum vitale, & propriè liberum. Tandem in productione aliarum omnium rerum non subditur Deus legi, & tamen est causa earum physica.

Facilius ab hac difficultate se expediunt illi, qui malitiam peccati constituunt in negativo, privatione, nec se. aliquæ ad entitatem positivam actus sequuntur, unde cum Deus non concurrat ad hanc privationem immediate, sed ad solam positivam entitatem in privatione actus, sequitur non esse causam malitiæ peccati, tunc.

causa

fa enim mediata non censetur causa effectus positi ad positionem causae immediatæ, seu fundamenti alicujus effectus, vel privationis inde sequutæ, nisi vel ponat causam immediatam, & fundamentum eâ intentione ut sequatur effectus, aut privatio, vel teneatur à positione talis causae abstinere, quorum neutrum Deo competit: Deus enim, cum sit causa universalis, non tenetur concursum ad peccatum negare. Ita Bellar. l. 2. de amissione gratiæ, c. 18. Molina in Concord. q. 14. ar. 13. d. 3. & q. 19. art. 6. disp. 3. Suarez l. 2. de Aux. c. 3. Valen. l. 2. q. 9. p. 2. Azor. To. 1. l. 4. c. 22. q. 1. Salas l. 2. d. 10. s. 2. n. 32. Tanner. 1. 2. d. 4. q. 9. dub. 5. n. 82. & alij.

**VI.**  
Ratio illa  
de peccato  
consistit  
in privatio-  
ne nec sub-  
sistit nec  
satisfacit.

**VII.**  
Novus re-  
spondendi  
modus.

**VIII.**  
Refellitur  
hæc respon-  
sio.

**IX.**  
Pluribus  
impugna-  
tur positi-  
vus hic  
respondendi  
modus.

Contrà primò, multò probabilius est, formalem malitiam peccati consistere in positivo, ut ostendi l. 2. d. 1. s. 1. Contrà secundò, non ob aliam rationem homo censetur causa physica illius privationis, nisi quia producit physicam entitatem actus peccaminosi, ad quam sequitur privatio; sed Deus æquè entitatem illam physicam producit, ergo æquè erit causa privationis. Quamcunque igitur ratione reddiderint hi auctores, cur hæc privatio sequatur ad actionem illam physicam ut est ab homine, & non ut est à Deo, reddi eadem poterit cur homo sit causa physica peccati, non Deus, etiamsi malitia peccati consistat in positivo. Statuere ergo peccatum in privatione, nihil ad modum hujus solutionem conducit.

Quintò itaque nonnulli sic procedunt; dicunt Deum causare omnes partes peccati, nempe, qualitatem, actionem, & unionem cum subjecto distributive sumptas, non tamen collectivè, seu totum, quod distinguitur à partibus sigillatim sumptis: sicque licet sit causa partium, non tamen est causa totius, ac proinde nec peccati.

Sed contrà, totum juxta hos auctores est quid distinctum à partibus, ergo debet Deus illud producere, alioqui esset aliquid ad quod Deus immediatè non concurrat, sicque incidunt in opinionem Durandi. Conf. esto, totum sit quid distinctum à partibus distributive sumptis, non tamen producit per aliam actionem, præter actiones partium, sed omnes actiones partium sunt actio totius, ergo ille qui producit omnes partes, producit ipso facto totum, sicut qui producit duo alba, ipso facto producit similitudinem, in sententiâ relationem non distinguente à fundamento & termino. Conf. secundò, implicat ut quis producat omnes partes distributive, & non producat eandem collectivè, cum à parte rei sint idem, ergo & quin producat totum. Conf. tertio, si ex centum hominibus singuli conficiant unum lapidem in eundem locum, omnes simul acervum illum faciunt: quod etiam contingeret si unus singulatim eisdem lapides in cumulum illum projiceret, ergo quoad confectionem aggregati alicujus, vel acervi, idem in rei est producere, vel projicere omnes partes, aut lapides distributive, & collectivè.

Quod si dicatur produci in dictis casibus totum ex eo quod ponantur, vel producantur partes distributive, ergo & Deus erit causa physica peccati, licet illius partes ponat solum distributive, alioqui nec homo erit causa physica peccati, cum quoad hoc eodem modo illius partes producat, quo Deus: imò Deus non erit causa physica actus boni, cum eodem modo producat partes illius, actionem sc. qualitatem, & unionem quo producit partes peccati. Præterea, certum est Deum permittere peccatum, cum tamen non permittat totum alio modo, quam per ipsius concursum partes istæ peccati ab homine producantur. Deinde, ipsa actio productiva peccati est mala, & peccatum, ergo Deus concurrente ad illam, concurrat ad peccatum. Imò ulterius, cum actio sit immediata productio termini, qui ponit a-

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

ctionem, ponit immediatè terminum, qualitatem scilicet malam, & unionem, & sic totum, seu effectum malum. Alia multa excogitari facile contra hanc sententiam possent, sed hæc sufficiunt.

#### SECTIO IV.

*Proponitur alius modus defendendi, Deum non esse causam physicam peccati.*

**S**Extò itaque dicunt alij (& est communis hodie responsio) ideo Deum non esse simpliciter causam, etiam physicam peccati, quia licet influxu universalis concurrat ad actum peccaminosum, concursus tamen ejus, inquit, non est determinatus, sed indifferentis, Deus enim in actu primo non magis parat concursum ad amorem quam odium, calorem quam frigus, & universum ad unam speciem quam ad aliam: causa autem secunda hinc & nunc determinat, ut potius egrediatur amor, quam odium, & sic de cæteris; ideoque causa secunda est causa horum simpliciter, non prima: ita Mol. cit. Lessius de Aux. c. 4. & l. 11. de Perfectionibus Divinis, num. 18. Conink d. 10. de actib. n. 70. Arriaga d. 10. Phy. l. 1. nu. 45. & plurimi ex recentioribus.

Sed contrà, si enim ideo Deus non sit causa physica peccati, quia concursus ejus est indifferentis, ergo nec erit causa universalis ullius rei, nam concursus ejus universalis est indifferentis respectu omnium rerum, & ab igne determinatur ad producendum ignem, ab aqua ad aquam, à sole ad metalla, à potentia liberâ ad hunc vel illum effectum bonum, vel indifferentem &c. Contrà secundò, hinc enim sequeretur, intellectum non esse verè causam suorum actuum, nam ex se, seu in actu primo est indifferentis ad varios actus specie distinctos, ad quos determinatur à tali specie intelligibili: imò etiam posita tali specie, est indeterminatus ad actus specie distinctos, nempe ad hoc vel illud specie judicium, affirmativum sc. vel negativum, posita enim eadem specie vel apprehensione, affirmare potest stellas esse pares, vel negare, ergo intellectus non est propriè causa horum actuum.

Propter hæc & alia hujusmodi, quæ quivis facile excogitare poterit, dicunt tandem alij solam indeterminationem non sufficere, sed ad hoc ut aliquis sit causa ullius rei, requiri ulterius, ut cum inclinatione quadam & propensione ad illud concurrat, vel saltem non cum aversione, ac displicentiâ, & involuntariè; Deus autem, cum maximâ aversione & invitus concurrat ad peccatum, utpote rem Deo ingratam, & invisam: cujus indicium est, quod Deus actus malos non prohibeat solum, sed poenis & supplicijs propositis, ut antè dixi, ab ijs homines deterreat: ita fere P. Arriaga d. 10. Phy. l. 1. n. 47. & l. 2. n. 87. & P. Oviedo Cont. 10. Phy. p. 4. n. 38. & 39. & ex recentioribus non pauci.

Sed contrà primò, hæc enim solum probant, Deum non esse causam moralem peccati, non tamen non esse physicam. Contrà secundò, peccatum prout credit à Deo, non est malum, sed solum prout procedit à facultate creatâ, sub hac enim solâ ratione est actus ille difformis rectæ rationi: unde P. Erice. 1. p. d. 18. c. 1. n. 9. & alij affirmant Deum amare actum peccaminosum merè ut est terminus omnipotentis divinæ ergo nihil est quo minus dici possit causa physica illius.

Contrà tertio, Deus concursu universali non concurret cum aversione ac displicentiâ, ad omnem saltem actum peccati, ergo etiam juxta hunc modum respondendi, est causa physica universalis respectu aliquo-

**I.**  
Ideo negant  
aliqui Deum  
esse causam  
physicam  
peccati,  
quia concursus  
ejus est  
indeterminatus.

**II.**  
Impugnatur,  
quia  
sequitur  
Deum non  
esse causam  
ullius rei.

**III.**  
Alj tandem  
negant Deum  
esse causam  
physicam  
peccati,  
quia ad illud  
concurrat  
non aversione.

**IV.**  
Hæc etiam  
ratio non  
videtur  
satisfacere.

**V.**

*Deus concursu universali, & antecedenter, non concurrere cum averfione ad omne peccatum.*

aliquorum peccatorum. Antecedens probatur, in actibus ijs, qui sunt mali quia prohibiti, qualis erat comestio illius pomi in paradiso. Ex quo sic argumentor, Deus concursum universalem ad hanc, & similes actus non præstat invitis, involuntariis, cum displicentiâ, averfione, &c. ergo est causa physica universalis respectu illorum. Antecedens probatur, actus volendi concurrere ad hos actus, seu concursus illorum universalis est præstitus ante averfionem, & displicentiam, ergo. Antecedens probatur, concursus universalis hic ex parte Dei est præstitus ante causam averfionis & displicentiæ, ergo à fortiori ante prohibitionem; antecedens hoc probatur, Deus prudenter non potest prohibere, sicut nec præcipere nisi actus proximè possibiles; unde non potest prudenter prohibere homini hic in terra ne manu tangat cælum, aut ne loquatur is, qui caret lingua, sed non magis potest quis elicere huiusmodi actus physicos sine concursu universali Dei parato, quam homo loqui sine lingua, ergo pro aliquo priori ad prohibitionem positus in actu primo est ex parte Dei concursus universalis, ergo à fortiori pro priori ad averfionem & displicentiam, quæ posteriores sunt prohibitioni, cum hæc, ut dixi, sit earum causa. Eodem itaque signo parat Deus concursum universalem ad hos actus, quo ad productionem ignis, caloris, & aliarum omnium rerum; unde eodem etiam modo, quoad concursum generalem, ad illos concurrat.

**VI.**  
*Uterius hoc idem declaratur.*

Accedit itaque prohibitio ad illud, ad quod Deus antecedenter ad prohibitionem nullam habet averfionem, ergo ad id, quod si ponatur à parte Dei, ponetur sine averfione (per eundem enim concursum res semper producantur, per quem videbantur producibiles) cum ergo Deus ut causa universalis, nullam habeat averfionem à re ullâ indifferente quâ indifferente, & non alio modo ut causa universalis respiciat hos actus, quàm omnes alios indifferentes, utpote qui antecedenter ad prohibitionem ab ijs non differunt, sequitur Deum ut causam universalem concurrere ad illos sine averfione, & consequenter esse respectu illorum propriè causam universalem.

**VII.**  
*Certum est Deo displicere omnia peccata.*

Dices; negari non posse, quia Deo displicant peccata, non ea solum, quæ sunt intrinsecè mala, & ideo prohibita, sed illa etiam quæ tantum sunt mala quia prohibita; ergo ut causa universalis ad hæc etiam concurrat cum averfione, & displicentiâ. Factor Deum ad omne peccatum concurrere cum averfione, non tamen ut causa universalis est: Dei enim voluntas præbendi concursum universalem est pro aliquo priori ad displicentiam, imò & ad causam displicentiæ, cum debeat actus esse completè possibilis, antequam prohibeatur, ut supra ostendi n. 5.

**VIII.**  
*In his peccatis displicentia hæc est tantum consequens.*

Displicentia ergo hæc est consequens ad omnia principia physica horum actuum à Deo posita, displicentia autem consequens non potest efficere ut antecedenter, & ut causa universalis influat Deus cum averfione, cum pro illo priori non sit posita causa averfionis. Sicut voluntas damnandi Judam, & eos qui moriuntur in peccato mortali, non tollit voluntatem antecedentem, quam habet Deus illos, & omnes salvandi. Comestio ergo illius pomi ab Adamo antecedenter ad præceptum (quo modo eam respicit concursus Dei universalis) nihil differt à comestione, qua Petrus modò pomum aliquod comedit, aut Adamus pomum illud comedisset, si nulla fuisset prohibitio.

**IX.**

Dices secundo; esse in Deo duas voluntates concurrentes ad huiusmodi actum, unam ante, aliam post prohibitionem. Contrà primò, concursus uni-

versalis secundum communem sententiam Philosophorum, & Theologorum est tantum unus, & inauditum est hactenus in scholis ponere duos. Contrà secundo, actus huiusmodi indifferens pro eodem signo quo prohibetur, potuisset præcipi, sed ad illum actum quando præcipitur, nullus ponit novum concursum universalem, ergo nec quando prohibetur, nec præceptum enim, nec prohibitio mutat substantiâ actus. Contrà tertio, alioqui non concurreret Deus ad eandem actionem quam prohibebat, mutato enim uno principio mutatur actio, Deus siquidem quando prohibet actum, non videt illum in circumstantiis prohibitionis, nec habet prohibitionem suam, nec se pro objecto, sed nudè prohibet illum actum, ad quem jam præbuit concursum, cum videat illum possibilem.

## SECTIO V.

*Resolutio questionis circa concursum Dei ad actum pravam.*

**P**rima conclusio: Deus respectu actus peccati habet se solum permissivè. Hæc conclusio est fide certa, & definita in Con. Tridentino, ses. 6. can. 6.

Secunda conclusio: Deus peccata omnia odit, & averfatur, & cum displicentiâ ad ea unâ cum libero arbitrio producenda concurrat. Ratio est quia Deus eo affectu in res omnes fertur quem merentur, peccata ergo, cum malorum omnium sint maxima, Deus averfatur, & odit. Hanc tamen averfionem, respectu eorum peccatorum, quæ non sunt ex se mala, sed mala tantum quia prohibita, non habet Deus antecedenter, & ut præbet concursum universalem, sed solum consequenter, ut latè dictum est sec. præcedente, numero maximè octavo.

Tertia conclusio: nihil dicit contra Patres aut Concilia, qui affirmant Deum esse causam universalem physicam actus peccati. Ratio est, quia quando Concilia, & Patres negant Deum esse causam peccati, per causam idem intelligunt, ac auctorem, seu non esse causam cur homines prava opera faciunt, nec Deum eos ad peccata instigare, & impellere, multò minùs physicè ad actus malos determinare, eosve prædefinire, ut supra latiùs dixi s. n. 3. & 4. Quod verò Deus eo modo sit causa physica physicè influens in actum peccati, sicut in alias res per concursum universalem, & indifferentem, nunquam negant Patres: & sapè sanctus Thomas, ut 1. 2. q. 79. a. 2. & alibi expressè, docet Deum esse causam actus peccati, qui nimirum, prout procedit à Deo, non est malus.

Quarta conclusio: quamvis videri fortè alicui possit non esse inconveniens, si dicatur Deus esse causam physicam universalem actus peccati quoad totum positivum, modo jam explicato, id tamen nullo modo est sine explicatione concedendum.

Primam conclusionis partem existimo esse secundum mentem sanctorum Patrum, qui frequenter asserunt Deum esse causam actus illius positivi, & quando negant, solum id faciunt in sensu conclus. præcedente explicato. Unde præter alios hoc expressè docet Malderus citatus supra s. 2. & Tannerus 1. 2. d. 4. q. 9. dub. 5. n. 76. quo etiam modo passim loquitur Zumel, & Valquez, & alij ex recentioribus. Unde tandem Molina citatus d. 31. ait Deum esse causam universalem actionis quæ materialiter peccatum est. Nec in re fortè aliud vult Cajetanus 1. 2. q. 79. a. 2. dum ait, Deum esse causam peccati, licet non adjunctæ privationis Ratio secundæ partis est, quia ex verbis inane prolatis nascitur hæresis.

DISPU.

*Dicitur enim quod effectus Dei duos concursus in actu primo.*

**I.**  
*Deus circa peccatum habet se solum permissivè.*  
**II.**  
*Deus cum averfione ad peccata concurrat.*

**III.**  
*Non est contra Patres, aut Concilia Deum esse causam physicam actus peccati.*

**IV.**

**V.**

*Ex verbis inane prolatis nascitur hæresis.*